







IONVM  
XXIV.














L. N. I.  
EXCERPTA QVÆDAM

EX  
OBSERVATIS IN NVPERA  
PESTE HAMBVRGENSI,

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
D O M I N O

GVILIELMO HENRICO,  
DVCE SAXONIÆ, IVLIACI, CLIVIÆ, MONTIVM,  
ANGARIÆ ET WESTPHALIÆ, & reliqua,

*SVB PRÆSIDIO*

RVDOLPHI GVILIELMI CRAVSII,

HEREDITARII IN MELLINGEN  
PHILOS. ET MED. DOCT. PRAX. ET CHIM. PROF. PVBL.  
FACVLTATIS MEDICÆ, ET TOTIVS ACADEMIÆ  
SENIORIS VENERANDI,

*PATRONI ET PRÆCEPTORIS SVI OBSERVANDI,*

TANQVAM SPECIMEN INAUGVRALE

PRO LICENTIA

Summos in Medicina Honores & PRIVILEGIA DOCTORALIA, More

Majorum rite consequendi,

*publico eruditorum examini exposita*

IOH. FRANCISCO BEERWINCKEL, Helmstad.

MEDICO PESTIL. HAMBVRGENSI,

IN AVDITORIO MEDICO,

Horis ante- & pomeridianis consuētis,

Ad D. OCTOBR. MDCCXIV.

LE NÆ, LITTERIS KREBSLANIS,



V I R O  
*Magnifico, Nobilissimo, Consultissimoque,*  
D O M I N O  
GARLIEB SILLEM,  
I. V. L. REIPUBLICÆ HAMBURGENSIS SYN-  
DICO GRAVISSIMO, COLLEGIQVE SANITATIS IBI-  
DEM PRÆSIDI INCLYTO;  
NEC NON

V I R O  
*Nobilissimo Consultissimoque,*  
D O M I N O  
DIETERICO REIMBOLD,  
I. V. D. SENATORI EIVSDEM REIPVBLI-  
CÆ MERITISSIMO,  
CÆTERISQVE MEMBRIS COLLE-  
GII SANITATIS SPECTATISSIMIS,  
*Patronis ac Fautoribus suis nun-  
quam non colendis,*  
DISSERTATIONEM HANC INAVGVRALEM  
EA, QVA DECET SVBMISSIONE

*offerē*  
IOH. FRANCISC. BEERWINCKEL.





## Duce & Auspice CHRISTO!

**S**I omnes morbi, sacro codice teste, ex peccato proficiscuntur, quis quaeso, PESTEM etiam inde provenire, jure negaverit? imprimis cum ibidem EA inobedientibus poenæ loco adjudicetur, & hujusmodi minas Deus, populo Israelitico intonaverit, ceu prolixè videre licet Levit. cap. 26. §. 23. 24. 25.

Proposueram mihi de nuperâ dirâ PESTE HAMBURGENSE, quæ felicissime, propitii Dei auxilio ante aliquot menses desit, quædam à me, in curatione illius observata notabiliora in lucem emittere, & ad memoriâ avi prodere.

Verùm enim verò, cum Hamburgo Jenam reversus, varia fata me impederint, ut in labore & proposito isto, sæpe negotiis variis, itineribus diversis, & valetudine meorum gravi retardatus fuërim; redire autem Hamburgum, sine ulla mora teneam, inque eo totus sim, ea propter paucissima tan-

tum quædam ex observatis in curâ dictæ Pestis excerpere, eaque *speciminis inauguralis loco* sistere ratum duxi, reliqua alii temporî commodiori refervaturus.

Tu, benevole lector, mihi, hæc deproperanti, & rudi minerva conscriptis ut amice faveas, exopto. Tu autem, SUMME ARCHIATER JESV, qui mihi in cura Pestis semper benedictione Tua clementissimè adstitisti, meis annue cœptis!

## §. 1.

**M**irandum est, quod, lue Pestifera grassante, omnes prope morbi propriam suam indolem deserant, & in Pestem degenerare soleant. Sic olim in Peste Veneta, referente Natali Comite, ita cœpit vis morbi incrudescere, ut omnes ægritudines, quæcunque cepissent, in hanc lethiferam converterentur, cum scabies, vulnera, & quævis ulcera fricando concepta, fierent Pestilentia.

§. 2. FORMALEM DEFINITIONEM veræ Pestis accurate tradere velle, impossibile puto, quia malignitatis ratio, ipsiusque specifica natura, omnium autorum consensu, etiam sagacissimos naturæ scrutatores latet.

§. 3. Pestem voco morbum Epidemium, perniciosissimum & malignissimum, complures simul in unâ urbe, aut regione variis, & diversis symptomatibus gravissimis, vel clanculum, vel manifeste adorientem, & afflicentem, magna ex parte lethalem, ex pestiferis, virulentissimis, & contagiosissimis miasmatis, aërem insipientibus profectum,

ctum, principium nostrum vitale primariò turbans, læ-  
dens & haut rarò opprimens.

§. 4. Pestilens, malignum, & contagiosum quan-  
doque sumuntur pro synonymis, sed quamquam symbo-  
lismum quendam inter se habere intotum negari non-  
possit, malignum tamen & contagiosum latius patent pe-  
stilentiaitate.

§. 5. Quidam aliam pestem priuatam, aliam verò  
publicam statuere volunt. Illam dicunt, quæ unam sal-  
tim in aliqua urbe, loco, domum, aut familiam adoritur,  
omnesque ibi peste interficit, qualia exempla memini le-  
gere apud Authores. Atque huc forsàn referri possit, quod  
legimus apud Horstium, libr. 2. Epist. sect. 2. nempe,  
pestem illam tempore Caroli IV. Imperatoris obortam,  
cum ordine Franciscanorum singularem conuenientiam  
habuisse, quorum per triennium 124434. iujulati sunt;  
Plura huc spectantia inueniuntur apud *Cardanum lib. 8.  
de rerum varietate*, *Fernelium de abditis rer. causis c. 12.*  
aliosque plures. Publica pestis est, quam §. 3. descri-  
psimus, quæ Hamburgum valde afflictauit.

§. 6. Quamuis secundum Historiographos nomi-  
nentur Prouinciæ v. g. Syria, Ægyptus, Cayrus, Constan-  
tinopolis, quibus alii Insulam Cretam addunt, in quibus  
certæ, & quasi anniversariæ pestilentiales causæ latitare di-  
cuntur, unde pestis, licet non perpetuò incolas illius loci  
in festet, sed ex intervallis redit, contagiosa tamen est, &  
fatis apta, ut in plures provincias diffeminetur, hujusque  
fortis pestis eo respectu Endemius morbus quibusdam  
dicatur; Dubito tamen, an reuera talis dici debeat. Pe-  
stis enim vera rectè Epidemius morbis ab Experientissimis

Practicis adnumeratur, ob rationes plurimas, quas, brevitatis studio recensere non vacat.

§. 7. Variolæ malignæ, febresque petechiales, in aliqua regione, aut loco, sæpe, & diu homines infestantes, nullis ordinariis, nec optimis remediis parentes, pluresque contagiis suis inquinantes, & occidentes, haut frustra nonnunquam prodromi pestis haberi possunt, utpotè, quæ valde de malignitate pestis participant; Sæpissimè enim in cura pestis observavimus, febres Petechiales in pestem, atque hanc in illas tandem degenerasse, & si bubones retrocesserint, febrem petechialem ferè ordinariè ortam fuisse.

§. 8. Hinc colligo, materiam bubonum, & harum petechiarum, si non unam, eandemque, parum tamen differentem fuisse. Observavimus quoque in haut paucis scabie gravi laborantibus, & quia metuebant, ne peste corripentur, ad Lazarethum transmissis, adhibitis licet iis, quæ peste laborantibus ordinariè adhiberi solebant medicamentis, scabie quidem copiosius adfectos fuisse, sed nulla planè pestis signa, nec bubones, nec carbunculos prorupisse, nec peste affectos fuisse, quamvis licet in lectis peste mortuorum dormirent.

§. 9. In tota febrium cohorte nulla generi humano insidias magis struere dicitur, quàm pestis. Fracastorius, Joh. Heurnius, Jordanus, aliique plures in omni peste semper adesse febrem volunt; Sennertus autem, cumque eo alii contrarium statuunt.

§. 10. In peste Hamburgensi in quamplurimis signum ejus generale, & ordinarium febrem fuisse observavimus. Adoriebatur enim malum homines instar aliarum,

arum febrium cum frigore & calore, insequentibus ple-  
rumque statim maximâ lassitudine totius corporis, cum  
anxietate circa præcordia, dolore capitis gravi,  
vigiliis &c.

§. 11. Alios verò vidimus haud paucos, qui quidem  
horrorem quendam, sed cum levisimo, & vix sensibili  
calore sentiebant; simul autem dolorem quendam aut in  
inguine, aut sub axillis conquerebantur, & bubones in dolen-  
tibus locis mox erumpebant spontè, sed poterant taliter  
affecti circumambulare, operari, & res suas domesticas usi-  
tatas ita perficere, ut decumbere non necesse habuerint,  
nec amplius ægrotarint.

§. 12. Erant alii, qui horrorem & calorem levem  
quidem initio per duos, aut tres dies sentiebant, & forti-  
ter perferebant; sed, quia brevi post dolor capitis gravis,  
lassitudoque totius corporis ingens, patientes in lectum  
prosternebat, in decumbentibus statim omnia sympto-  
mata fiebant graviora, imò gravissima, inprimis ardor  
percipiebatur vehementissimus, adjuncta erat lassitudo e-  
normis & adaucta, omnes artus occupans, quæ cum vigiliis  
nimis, & deliriis gravibus, nimium quantum saeviebant,  
ægroscque plures trucidabant.

§. 13. In sanguineis, corpulentioribus, & succi  
plenis ordinariè omnia symptomata deprehendebantur  
graviora, ideoque tales periculosius decumbebant, &  
multi ægrorum, optimis licet adhibitis remediis, morie-  
bantur.

§. 14. Bubones interdum soli, ab initio statim e-  
rumpebant; interdum tamen aliquot diebus post decubi-  
tum demum apparebant, sine febre manifesta.

§. 15.

§. 15. Bubones cum Carbunculis quando simul tercio, aut quarto die, post decubitum erumpebant, ordinarie grauisimis stipati erant symptomatibus.

§. 16. Proinde, quia in multis ægris bubones tantum, sine evidenti febre, in plurimis autem febrim ardentissimam cum bubonibus, aut solis, aut unâ cum carbunculis deprehendebamus, dispescere solebamus pestem in bubonariam, & eam, quæ cum febre, aliisque symptomatibus stipata erat.

§. 17. Peste bubonaria affecti, semper, cæteris paribus mitius ægrotabant; Carbunculos verò habentes grauisimos conquerebantur dolores, omniaque symptomata enormius sæviebant; plerumque etiam deliria ad erant gravissima in utrisque.

§. 18. In bubonibus materia venenata à principio vitali, quod homini vitam dat, conseruat, & statim in puncto saliente se repræsenter, quasi critice à sanguinis massa sponte separatur, & ad externas partes protruditur, interdum autem medici adjumento opus habet.

§. 19. Quemadmodum aliquando in peste sine febre, & grauibus symptomatibus, ceu §. 14. diximus, bubones observabantur, quod etiam adnotarunt Oelhafius de seminar. pestilenti, pag. 69. & Gieslerus de peste observ. 24. curatoque bubone, citra alia remedia ægri à peste liberabantur, ita recedentibus bubonibus, ægri, aut pessimè se habebant, aut in febrim petchialem incidebant, aut moriebantur.

§. 20. Sæpè tertio, quarto, aut sexto, quin imò octavo etiam demum die post regressos bubones obser-  
vavi.



vavimus, exhibitis requisitis medicamentis sudoriferis, maculas petechiales prorupisse.

§. 21. Signa februm talium petechialium ordinariè erant singularis, & enormis, verbo, summa lassitudo in omnibus artubus, in specie autem maxima anxietas circa præcordia.

§. 21. Præterea in agris plethoricis, corpulentioribus, & succi plenis, plerumque aut hæmorrhagiæ narium largæ, aut vomitus cruenti accidebant, & hinc demum post adhibita remedia usitata, & post aliquot dies maculæ petechiales apparebant.

§. 23. Maculæ istæ petechiales in multis erant admodum parvæ, instar parvorum ovulorum piscium lactariorum, sive oviparorum; in aliis magnitudinem lentium æquabant, in quibusdam verò latiores, & amplioresprehendebantur.

§. 24. Quam primum maculæ istæ ad peripheriam corporis protrusæ erant, anxietas præcordialis notabiliter remittebat, aliæque symptomata mitiora evadebant.

§. 25. Macularum istarum, quæ magnæ erant & rubræ, citius disparebant, & plerumque instar squamarum decidebant.

§. 26. Parvæ verò maculæ multo diutius, & sæpe ultra tres septimanas durabant.

§. 27. Qui ægri in moderato calore se continere volebant, (multi enim immergeri, & cerebrosi erant,) & poterant, lenioribusque sudoriferis debite tractati erant, multo citius sani evadebant, paucissimique moriebantur; illi autem, qui nimio calore, & sudoriferis vali-

dioribus utebantur, iisque obruebantur, periculosius decumbebant, & frequentius moriebantur.

§. 28. Sæpius observavimus, quando patientes ante sufficientem eruptionem petechiarum se improvide, & obstinatè, contra Medicorum & adstantium iussa, libero aëri exposuerant, aut frigidum haustum biberant, quod maculæ, quæ antea rectè, & ordinariè rubræ apparuerant, in nigras statim maculas conversæ fuerint, & intra viginti quatuor, quandoq; etiam pauciores horas ægri mortui sint.

§. 29. Petechiæ, sicut ratione latitudinis, ita etiam ratione coloris variabant variè. Rubræ tamen erant ulteriores, & benigniores, sed si propter malam dietam, aut neglectam curationem in nigras degeneraverant, res erat plena summi periculi.

§. 30. Qui maculis laborabant lividis, (hæmorrhagibus) ut plurimum, modo se ipsos recte gubernarent, & rite, ac debitè medicamentis uterentur, felicissimè sani evadebant.

§. 31. Vir quidam triginta & aliquot annorum, it: puella 18. annorum statim ab initio maculas petechiales habebant nigras, Deo tamen juvante, feliciter sanabantur, non obstante quod puella enormiter & gravissimè deliraret.

§. 32. Ad delirium, quod in hac puellâ enorme erat, mitigandum, applicabantur duo vesicatoria in nuchâ, sed sine omni effectu, quamvis in aliis ægris in simili affectu summè proficua deprehensa essent; econtrariò ferè infallibile signum mortis observatum, si vesicatoria effectum suum non præstiterint. Hoc non obstante, continuabantur vesicatoria usque in tertium diem, quâ delirium  
omne



omne manifestè cessasse observabatur; adhibitis medicamentis usitatis diaphoreticis, maculæ mutabantur primo die in lividas, secundo die in rubicundas, & pederentim deveniebant ordinariè rubræ, quo factò cura porrò brevi, feliciterq; absolvebatur, & ægra pristinæ sanitati restituta dimittebatur.

§. 33. Vir, cujus §. 31. mentionem fecimus, qui pectus nigris & plurimis laborabat, & simul valdè delirabat, cum summis vigiliis, tractabatur eodem ferè modo quo puella; initio usitatis in Lazarethis remediis, exhibebatur R bez. camph. cum Mist. simpl. liqu. c. c. succin. Ess. castor. post mixta hæc adhibita sudabat patiens egregiè, sed quia lassitudo enormis perseverabat, una cum gravissima anxietate circa præcordia, exhibebatur singulis sex horis dosis una pulveris, ad 4. doses ordinati, ex antim. diaph. cinab. nativ. præp. ā. ʒʒ ʒ præp. ʒj. camph. Theriac. coel. ā. gr. v. præterea ordinabatur alius pulvis ad 4. doses, & singulis sexhoris exhibendus, qui constabat ex pulv. bez. ʒij. lap. cancrorum, bol. armen. c. c. phil. præp. ā. ʒj. mistis; ad somnum conciliandum mixtura ordinabatur ex. ▽ ceras. nigr. rosar. cordial. frig. ā. ʒij. ess. op gutt. ii. quæ parienti pro unâ dosi cum summo fructu exhibebatur, maculæ nigræ inde mutabantur in rubras, & patiens, usurpatis aliis, quæ præscribebantur necessariis, brevi post planè, & satis recte in integram restaurabatur sanitatem.

§. 34. Quam primum ad Lazarethum deportati erant ægri peste affecti, & bubones metuentes, sine morâ illis exhibebatur mixtura ordinaria, nobisque usitata bezoardica, de qua manè & vesperi, pro diversitate, & ratione subjecti, sexus, ætatis, &c. modo 40. modo 50. 60.

imò plures, & ad centum usque guttæ prodosi exhibebantur, ut inde sudarent; natura enim morbi, & causæ morbificæ valdè variabant; post repetitos sudores bubones feliciter erumpebant, quos chirurgi emplastro maturante, & emolliente rite tractare solebant, & quando maturerant, aperiebantur instrumentis convenientibus, vulnus mundabatur unguento fusco ægyptiaco, &c. bis de die, & quo usque materia satis cocta, & matura deprehendebatur; hinc satis mundato vulnere, digestivis, emplastris & aliis convenientibus, & necessariis curatus æger sanus dimittebatur.

§. 35. Quando deportabantur ægri ad Lazarethum, qui peste bubonaria laboraverant, sed bubones jam emersum retrocesserant, in hujusmodi patientibus, quamvis etiam omnia necessaria, & alias summe proficua & efficacia remedia adhibebantur, sæpe tamen omnis cura & operatio frustranea erat; in quibusdam autem secundo, 3. aut 4. 5. 6. imò post plures dies demum febris petechialis emergebat, multo sævius, & diutius ægros affligens; qui autem, omnibus licet adhibitis expellentibus, febre petechiali non afficiebantur, illis nihilominus mixtura nostra usualis Bezoardica per aliquot dies, etiam septimanas exhibebatur, & si nullæ plane maculæ in conspectum veniebant, ægri, exhibito purgante, & sanguinem purificantibus, in spec. ess. lignor. sani dimittebantur.

§. 36. Subjectum bubonum pestilentialium vulgo statuuntur glandulæ conglobatæ, quales sub axillis, & in inguinibus reperiuntur. Excludendæ tamen non sunt glandulæ conglomeratæ, nec aliæ in corporis cute, & partibus hinc inde reperiundæ, forsan ob symbolismum, quem

quem inter se habent; vidimus enim aliquoties bubones in mammis, in femore, brachiis, scapulâ, manu, pedibus, abdomine, in hypogastrio, regione umbilicali, aliisque locis, qui bubones veram pestilentialium bubonum figuram, colorem, qualitatesque omnes alias requisitas habebant.

§. 37. Vir XXVI. annorum temperamenti sanguineo phlegmatici, peste correptus, quatuor habebat bubones in femore sinistro, quibus sanatis, alius multo major, & insolitâ magnitudinis exoriebatur in regione hypogastrica sinistra, qui patienti tam enormem, & intolerabilem dolorem excitabat, ut plane per aliquot dies infornis, & inquietus permaneret; ob quam causam, ut bubo citius ad maturationem perveniret, omnis opera adhibebatur: Hâc factâ, incisio satis larga instituebatur, ad evacuandam materiam, quæ maximè virulenta & spurca sanguine mista, largiter ex vulnere effluebat, cum levamine egregio & manifesto patientis, qui tunc dormire incipiebat, & refocillatus decocto c. c. gelatin. c. c. ▽ ceras. nigr. cinam. cydoniat. & citrat. antim. diaph. rot. man. christ. &c. multo melius se habebat; exhibitis quandoque singulis fere horis, ʒ. cochlear. ▽ millefol. quæ in omnibus vulneribus singularis efficacix semper reperiebatur, patiens Lazaretho egrediebatur sanus.

§. 38. Fœmina XL. annorum peste correpta, bubonis eruptionem sentiebat sub brachio; sudoriferis ordinariis usurpatis bubo se satis benè elevabat, & ad maturationem perveniebat ex voto, posteaquè debitis unguentis, & emplastris a chirurgis adhibitis, vulnus consolidabatur, ægraque ad sanitatem perveniebat, ad sensum quidem perfectam. Verum, quia dicta fœmina ante aliquot

quot annos in difficiliori partu rupturam vulvæ passa erat, quæ tunc temporis ita curata erat, ut nihil amplius incommodi in isto loco senserat, curatis vero nunc bubonibus, post aliquot dies malum istud ibidem recrudescere incipiebat, cum insigni pudendorum intumescencia; curabatur intumescencia illa imposito sacco cum herb. melilot. fl. til. chamom. Rom. & vulgaris, it. sambuci, coctis in cerevisia tenui aut lacte, porrò adhibebatur emplast. alb. camph. cui sacculus superponebatur, his usurpatis, juvante Deo, pedetentim foemina ista sanata dimittebatur.

§. 39 Si bubonum vulnera citius, quam par est; aut quando materia peccans non satis maturata & evacuata fuit, consolidantur, natura plerumque alium locum sibi quaerit, ad id, quod reliquum, & corruptum adhuc in corpore remansit, evacuandum.

§. 40. Foemina XX. & aliquot annorum valde plethorica, & gravida, peste correpta bubonaria ad Lazarethum demandabatur; & consuetis adhibitis medicamentis curata, optime se se habebat: post aliquot verò septimanas vexabatur torminibus ventris, adeò gravibus, ut metus adesset abortus; primò igitur abdomini imponebatur panis super craticula tostus, imbutus vino, & balsamo embryonis, inperso pulvere cinamom. caryophyll. eum ꝑ nuc. mosch. ipsi etiam parum viai bibere concedebatur, interne adhibebatur pulvis contra abortum, cum  
 ▽ verbenæ & bursæ pastoris, ad quæ remedia gravida se optime habebat. Post 14. dies verò noctu, sine præcedente dolore notabili, aut convulsionibus, subito abortiebat, quarto mense gravida, propinato pulvere ex c. c. f.  $\Delta$  e, Ebur,

Ebur. s.  $\Delta$  c. c. ust, lap. 69. præp. castoreo, & c : satis bene se habebat, abdomen bals. embryon. illiniebatur, quia ejus dolorem ægra valde conquerebatur. Et quia tertio post abortum die mammæ nimium quantum indurata, dolorem causabantur maximè gravem, imposito brassicæ folio butyro non salito, cum croco admisto illito, ægra levamentum sentiebat satis exoptatum; continuatâ hâc curâ per tres dies, sanitati restituta erat integrâ. Ulterius quinque etiam aliæ scemina gravidâ poste laborantes omnes abortiebant, abortus valde nigro colore erant imbuti, superfuso autem per 3. vel 4. vices spir. vin. color iste auferebatur, sed spir. valde foetidus deprehendebatur redditus, & viscosus.

§. 41. Fœmina XXI. annorum bubonibus corripiebatur tribus in mammâ sinistra, cum insigni tumore & rubedine totius mammæ, bubones tractabantur more solito, adhibitis simul medicamentis in peste usitatis internis, & necessariis, post maturationem duæ minores bubones aperiebantur, & consolidabantur intra tres dies; tertius autem nullis remediis parebat, sine dubio quia patiens post curatos duos minores bubones sibi alacris visâ, & satis sana circumambulaverat, sed quia aliàs ad iram & excandescentiam pronissima, cum aliis altercata erat, malum recrudescerebat, & augebatur indies, erysipelas cum maximo ardore, duritie & tumore mammarum se adungebat; exhibuimus ergo sudorifera convenientia mane & vesperi, mammæ imponebatur sacculus ex herbis discutientibus, magno quidem cum levamine; sed quia materia nimis acris & corrosiva, erodendo vulnus profundius reddiderat, adhibebatur injectio quædam, etiam ali-

as proficua reperta, ex aloë, myrrh. ∇ calc. viv. Ess. bals. peruv. ∇ ꝑial. quæ injectio, quoties vulnus deligabatur, repetebatur, idque fiebat optimo cum successu, & quia sanari vulnus conspiciebamus, loco ordinarij digestivi ordinabatur sequens, in desperatis ejusmodi casibus semper valde proficuum expertum, compositum ex bals. peruv. de copaib. ⊖ com. sangu. dracon. addito paxillo de ungu. ægyptiaco, superimposito empl. diachyl. cum gumm. aut stict. Croll. Atque hoc modo hanc ægram, aliasque plures, bubones in mammis, & sub claviculis habentes feliciter curavimus.

§. 42. Aliquoties observavimus, iram, metum, frigidum aërem; talemque potum, peste, febre petechiali, bubonibus, aut carbunculis laborantibus valde nocuisse, multosque in mortem præcipitasse. Potus vini enulati omnibus, sed modice concessus fuit, & quidem optimo cum successu.

§. 43. Carbunculus Græcis vocatur *ἄρσεν*, quod latinis carbonem significat, sed verius pruna candens dici posset, siquidem dolor exustioni à prunâ candente impositâ, plane non est absimilis, & quia instar ignis circumpositi, partes, in quibus locum sibi sumit, inflammat & exurit.

§. 44. Describo carbunculum, quod sit pestilens tumor ulcerosus, malignus, lenormiter exurens, pesti sæpe adjunctus, corporis omnes partes carnosas investans, easque sævissime corrodens, & mortificans, ab humoribus acredine summe salinâ causticâ præditis, productus.

§. 45. Carbunculus initio nummi minuti vulgaris ( eines kleinen Pfennigs ) amplitudinem plerumque æ-

quans

quans se subito, & omni quasi momento magis dilatare solet, adeo ut brevi temporis spatio amplitudinem insignem, etiam ad manus latitudinem occupet, semperq; ulterius se dilataret, nisi butyro hii circumlito id præcaveretur, punctum habet in medio superficiei nigrum, sed valde splendescens, & escharosum, adeoque durum est, ut vix lancettâ incidi possit, sed sine sensatione ulla.

§. 46. Mindererus, qui varia scripta de peste, & medicinâ militari, lectu dignissima, edidit, de carbunculis ita apposite & recte scribit: So ein Antrax ansetzet / als ein Hanf- oder Sânf- fôrnslein groß / so machet er um sich einen Rand / oder Circul oder bigigen Halonem, als ein Tisch- Zeller / sofern er Orth und Fleisch bekümt / selbiges wird endlich von dem gesundem abgeschritten / und fällt als eine eschara, oder faules Fleisch heraus / so siehet der Schaden als ob die Wölffe daraus gefressen hätten.

§. 47. Inter omnia symptomata quibus carbunculus stipatur, dolorem jure merito atrocissimum dico; expertus enim in me ipso hæc scribo, siquidem quia semper circa ægros peste, bubonibus & carbunculis affectos noctu diuque versari tenebar, peste & carbunculo mediæ magnitudinis in femore insiciebar, qui carbunculus atrocissime ita me tormentabat, ut fere extra me positus viderer, elapsum illum & exsiccatum carbunculum in memoriam istius doloris ad huc conservo.

§. 48. Ut scias an bubo, an vero carbunculus sit erupturus? notandum, quod, si bubo futurus, omnia symptomata mitiora sint, nec dolor adeo exquisitus, & in inguinibus, aut subaxillis ordinarie, extraordinarie autem, non tamen raro etiam in aliis corporis partibus erumpat. Si autem carbunculus futurus, prodire solet gravioribus stipatus symptomatibus, interdum cum vomitibus, cum maximâ anxietate circa præcordia, dolore capitis enormi, vigiliis pertinacibus, haut raro cum magno delirio, ardor autem vix effabilis est, nempe instar prunarum candentium, loco, ubi carbunculus erupturus est, circumposita-

C

rum,



rum, qui diu perseverat. Dolor iste usque ad ossa penetrans, cum maximâ inquietudine & ejulatione ægros afflictat.

§. 49. Locum certum carbunculus non habet, sed ubique, ubi carnem invenit, erumpere solet. Vidimus eos e.g. in femore, natibus, thorace, brachiis, manibus, pedibus, mammis, etiam circa calcaneum.

§. 50. Carbunculus vel butyri antimonii circumlitione, vel excisione extirpatus, membrana quâdam ab intra circumvolutus conspicitur, & exsiccatus, si cui lubet, servari potest.

§. 51. Ubi grandior est carbunculus, & in carne molliori locum occupavit, corrodendo amplam & profundam cavitatem facit, & relinquit, exterius circulo rubro notabili sepe est, & si elabitur, vel excinditur, materia virulenta satis copiose per aliquot dies effluit.

§. 52. In excisione carbunculorum chirurgus sibi bene prospicere, & cavere debet, ne exhalantes ex vulnere vapores inspiciendo ad se trahat, vidimus eos instar fumi prodiiisse, & chirurgis valde nocuisse.

§. 53. Quando vulnera excisso, vel elapso carbunculo non recte tractantur, hanc raro 3. vel plura foramina in cute exoriuntur, id quod etiam in bubonibus quandoque observavimus. Cavernosi enim & cuniculosi interdum fiunt, & intra cutem se late expandunt, in quo casu incisiones a superiori loco incipiendæ, progrediendo ad loca inferiora, ut materia eo commodius effluere, evacuari, & vulnus eò melius mundari possit.

§. 54. Carbunculi ordinariè expellebantur sudoriferis, illis expulsi imponebatur emplastrum magnet. arsenicale, quousque ad debitam maturitatem pervenisse videbantur. Hinc circumcirca ungebatur butyrum antimonii, partim ne ulterius corrodendo se latius ampliarent, partim ad promovendum carbunculi elapsum; maturus carbunculus lanzetta à carne sanâ separabatur; quandoq; etiam mox ab initio lanzetta aliqualis instituebatur incisio, sive aper.



apertis in superiori parte escharæ, ne utiquam autem in apice ipsius; Quando emplastrum magnet. arsenicale super vulnus ponendum erat, illud aliquo modo in loco superiori sinebatur, (wurde gefärbet/) & quando tale emplastrum adhibebatur, virulenta materia sub specie guttarum clararum ipsi inherere conspiciebatur; quando autem carbunculus aut elapsus, aut excisus erat, mane, sublato à vulnere emplastro, conspicibilis vapor ex eo exhalabat, qui omni modo vitandus erat, ne valde contagiosus & inspiratus læderet.

§. 55. Murarius XXIII. annorum, peste correptus, & ad Lazarethum deportatus, septem habebat bubones, & unum carbunculum. Unus bubo, valde ingens apparebat in inguine, tres alii in femore usque ad genu, reliqui tres inferius conspiciebantur; carbunculus spacium inter calcaneum, & talum sibi sumferat, in latitudine Thaleri. Casus hic videbatur desperatissimus, quia symptomata erant acerbissima, cum febre accedente petechiali, & summo delirio, perpetuisque vigiliis; optimum erat, quod febris non statim in principio aderat, & bubones erant aperti: unà cum carbunculo febris se manifestabat petechialis. Carbunculus in principio erat valde lividus & depressus, quod alias pessimum erat signum, cum vero petechiæ prorumperent, carbunculus colorem alias solitum adquirebat, & debite elevabatur. Die sexto eximebatur carbunculus, qui corrodendo ita profunde se insinuerat, ut tendines conspici potuerint, quam ob causam patiens extremos, & acerbissimos sentiebat dolores, primario cum à chirurgis deligaretur. Curatio & consolidatio tardè procedebant, durabantque ultra 6. septimanas. Quia autem postea febris petechialis de novo accedebat, spes curationis prope totaliter auferebatur, inprimis quia petechiæ videbantur retrocedere, & lividæ fieri: nihilominus, Deo confisi, adhibebamus lenia diaphoretica cum alexipharmacis mixta, quæ omnibus quatuor horis exhibebantur. Ægrotus deprehendebatur frigidus per totum corpus, ad

ad instar mortuorum, quam ob causam mortem adpropinquare omnes putabant. Sed Dei, qui vitæ & necis arbiter est, clementissimo auxilio præter omnem spem, status morbi valde anceps, & miserandus se nonabiliter, & subito mutabat, pulsus deprehendebatur, & melior, sudor pedetentim erumpebat, petechiæ fiebant rubræ, verbo, omnia mitiora apparebant, & cura, ut incepta erat, omni studio continuabatur per viginti quatuor horas. Ægro, quia sitim sentiebat enormem, exhibebatur pro potu decoct. c. c. cum Scorzonæ. gelatin. c. c. aq. cinnam. citrat. & cydoniat. cum S diaph. mixta, ut & pulvis ex c. c. phil. præp. Ebore similiter præparato, lap. caner. Nitro, Camphor. de quo dosis aliqua quandoque exhibebatur; Atque sic procedendo Murarius iste restituebatur præter omnem spem sanitati integræ.

S. 56. Vir XLVIII. annorum tres bubones in brachio sinistro habens, nobis committebatur. Bubones hi à scapula originem sumserant, processerantque per totum brachium, usque ad cubitum sub cute, in carnosa parte, quod instrumento quodam ad extremitatem usque loci affecti immisso explorabamus. Initium curationis fiebat in parte superiori ita, ut per foramen inferius circa cubitum, (quod studio apertum relinquebatur) materia effluere posset, interea fiebat injectio, & continuabatur omni die. Injectio illa erat superius recensita, quæ semper valde proficua deprehensa fuerat. Inferior, circa cubitum locus, ad modum curatu erat difficilis, quia materia acris omnem carnem, usque ad ossa, omniaque vasa, ita eroderat, ut loco materiæ putridæ pura lympha efflueret nimis copiose. Sæpius tamen repetitâ injectione, & adsumto pro potu omni hora aqua millefolii, ita bene curabatur, ut patiens sanitati integræ restitutus dimitti potuerit.

TANTUM HAC VICE,

DEO ter optimo, terque maximo sit laus, honor  
& gloria in æternum!

00 A 6374

ULB Halle 3  
002 929 228




80

1017







26.  
I. N. I.  
EXCERPTA QVÆDAM  
EX  
OBSERVATIS IN NVPERA  
PESTE HAMBVRGENSI,

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
DOMINO

GVILIELMO HENRICO,  
DVCE SAXONIÆ, IVLIACI, CLIVIÆ, MONTIVM,  
ANGARIÆ ET WESTPHALIÆ, & reliqua,

SVB PRÆSIDIO

RVDOLPHI GVILIELMI CRAVSII,

HEREDITARII IN MELLINGEN  
PHILOS. ET MED. DOCT. PRAX. ET CHIM. PROF. PVBL.  
FACVLTATIS MEDICÆ, ET TOTIVS ACADEMIÆ  
SENIORIS VENERANDI,

PATRONI ET PRÆCEPTORIS SVI OBSERVANDI,

TANQVAM SPECIMEN INAVGVRALE

PRO LICENTIA

Summos in Medicina Honores & PRIVILEGIA DOCTORALIA, MORE  
Majorum rite consequendi,  
publico eruditorum examini exposita

IOH. FRANCISCO BEERWINCKEL, Helmstad.

MEDICO PESTIL. HAMBVRGENSI,

IN AVDITORIO MEDICO,

Horis ante- & pomeridianis consuetis,  
Ad D. OCTOBR. M DCC XIV.

LENÆ, LITTERIS KREBSIANIS,